


August Varenius

**Augustus Varenius, D. Collegii Theol. Senior. ... ad Exequias quas Matronae ...
Elisabetae Schwartzkopffs/ Coniugi ... Vir ... Dn. Hermannus Lembke/
Hereditarius in Finkenbergh/ hodie ... solemniter adornabit Ordinem Academicum
invitat**

Rostochii: Keilenbergius, 1678

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774762799>

Druck Freier  Zugang



Varenius, A.,
in
E. Schwartzkopff,
uxor. H. Lemke.

Rostock, 1678.

61.

83
AUGUSTUS VARENIUS, D.

Collegii Theol. Senior, Consistorii Ducum Assessor

Acad. Rostochiensis h. r. RECTOR

ad Exequias

quas

Matrona lectissima, ac sui sexus dotibus laudatissima

ELISABETÆ

Schwarzkopffs/

Conjugi suæ, per XLIX. annos dilectissimæ,
ac desideratissimæ

Vir Amplissimus & Integerrimus

DN. HERMANNVS Lemble/

Hereditarius in Sinkenberg/

hodie circa horam 11. in Templo Mariano solemniter adornabit

ORDINEM ACADEMICUM

invitat.

Levitici XXV, 10.

Sanctificabitis annum quinquagesimum & proclamabitis libertatem omnibus incolis illius terræ. Jubilæus ille esto vobis, quo revertatur quisque ad possessionem suam.

Pf. XCI, 16.

*Longitudine dierum satiabo eum, & videre illum faciam
Salutem meam.*

Rostochii an. MDCC LXXIIX.

Prelo FRIDERICI KEILENBERGII, Acad. Typographi.



Jubilæorum annorum in Sacris Mosaicis celeberrima memoria, nec solemnior alibi facile ceremonia, latumq; magis nomē, quā quinquagesimi illius, ejusdemq; Sabbathici magni, & *Jubilæi* appellati, qui quia perfectum usumfructum s. hujus consolidationem, proprietario tribuli, immunitatem ab obligatione, debitori, libertatē servo erat redditurus, ac Evangelici illius à Messia proclamandi inq; Synagogā Nazarenā, à DOMINO JESU jam proclamati intimatiq; (Luc. IV, 17. 18.) ex tempore N. T. in omne ævum, ex regno gratiæ in regnum gloriæ exituri, inq; aulā cœlestis Regis sine fine perennaturi, Jubilæi, typus illustris futurus, ex mandato & autoritate Dei, publico *buccinarum clangore*, in ipsis primordiis anni civilis d. sc. X. primi mensis in omnibus terris Israel intimandus erat. Lev. XXV, 8. 9. & seqq. Nec desunt, qui, licet illi Jubilæi umbratiles, Testamento, populoq; veteri & clauistro illi debeantur Legali, quod cum umbrā universā, velut opaca noctis nobilis Aurora, Sol oriens, ipse Christus sustulit, tempora nihilominus N. T. juxta Jubilæos distinguunt, quomodo ex Theologis, Philip. Nicolai, in rationario temporum N. T. primum *Jubilæum* inchoat ab anno aperti per Johannem Baptismi ac penitentia præconi, eodemq; 29. Christi, unde longo ordine Jubilæos annos N. T. deducit, sic ut trigessimus quartus Jubilæus sit annus Christi 1646. & inde ab illo numeratis 29. annus 1670. in numeris ipsi fuerit ultimus, omniumq; annorum finis (Vid. ille l. 2. de tempore regni Christi c. 9.) Sed & sive à plausu illo veterum Jubilæorum festivo, sive à pari quoq; annorum numero, variis solemnibus, etiam illis secularibus, servatur Jubilæorū nomen. Sub Monarchiā verò Papali nihil famosius Jubilæis annis est, in quibus, ex Idololatricis olim Romæ ludis secularibus, & V. T. Jubilæis lege temperatā à Bonif. IIX. centum, à Clemente VI. *quinquaginta*, à Sixto IV. *viginti quinque* annis circumscriptā (non negantibus id Grantzio, Marianā, Platina) quotquot Romam vel plena superstitione templa Romanā invisunt, illis indulgentiæ dentur plenissimæ, etsi miseris & decipi volentibus conscientiæ tam onerantur, quā crumena evacuantur, de quibus Pseudo-Jubilæis, prout & de veris *Israelitarum Jubilæis*, occasio

sione *Jubilai* ab Innocentio X. anno 1650. celebrati, pluscula peculiari tunc dissertatione commentati sumus. Vidit autem superius & nostrum quoque; seculum novum festivitatis & *Jubilai matrimonialis* genus, vel illo nomine, quod hominum memoriâ paucis obtingit, & rarum adeo, insolitumve alibi, memorabile, ut qui 49. Conjugii annos, feliciter absolverint, *Jubilai* solemnitatem, & ex se genitis, liberis, nepotibusque & neptibus, ac aliis Amicis indicant. Extant talium Jubilæorû exempla publicè edita, *M. Samuel Hubertus*, Gymn. Argent. Collega cum *Mariâ Suebeliâ* per L. jam annos uxore, nuptias semiseculares novellas celebrans d. 28. Jan. an. 1700. *Erasmus Grünigerus*, Winedæ Consul, cum suâ per LXIV. annos uxore *ELISABETHA*. an. 1547. ductâ, ubi ad *quingagesimum* Conjugii perventum, an. O. R. 1597. *Jubilaum* tale nuptiale celebrans, quod ab Erhardo Cellio inter alios, sequenti quoque; versu descriptum:

Hic quinquaginta postquam cum Conjuge totas
Vixerat ætates, secundi ventris *Elisâ*
Et jam reddiderat lucem lux ultima *Maji*
Hoc anno, fuerat quâ sponsus amabilis olim
Ecce per hanc thalami Jubilæum fecit eandem
Ad quem, non nisi de consanguinitate vocavit
Antetulare gradum teneræ primo ordine *Neptes*
Plurimus inde *Nepos*. Unum quibus omnibus aureum
Dulcis *Avus* nummum collo suspenderat, illos
Hujus qui quondam faceret meminisse diei,
Ordine conspicuo, *nataq; natusq;* sequuntur
Has nati & generi, seriem clausere *Parentes*
Ante oculos, natos & eorum chara videntes
Pignora, propitii largissima munera *Jovæ*.
Si numeres vivos, sex & triginta super sunt
Sin quoque; defunctas, triginta his addito septem
Concio de *Mosis* Jubilæo facta, diei
Huic aptata fuit, Domino gratesque; peractæ
His quod conjugibus tantum concederet ævum,

Erasmi illius Consulis *Filius M. Josua Grünigerus*, *Antistes Poppenweilensium* ductâ an. 1583. *Barbarâ Efferhemîâ*, uxore fulgidissimâ, raro exemplo, suppar illâ vivacitate & felicitate Parentis an. 1632. post 49. annos faustissimi Conjugii absolutos, ipse jam annos LXXIX. natus, Uxore autem jam tunc LXVII. annorum *Anicula*, indixit Jubilæi solemnitatem, quam, cum tanto Antistite dignus *Gener JOH. VALENT. ANDRÆ*, magni illius *Würtembergensium Theologi JACOBI ANDRÆ* excell. mem. *Nepos, Pastor idem Calvensis Würtemberg. & vicinarum Superintendens*, pro-

fo,

so, alter autem, Samuel Glonerus, Argentinenſis Poeta, ligato Sermone deſcripſerit, malum illorum verbis rem geſtam & in illâ ritum talis Jubilæi hic deſcribere. Ita ergo de nuptiis illis Soceri, Gener: *Ubi nona diei Julii, olim nuptiis ſacra, quinquageſima revolutio aſceſſit, convuſcati cum liberorū familiis propinqui & Amici, adſuere omnes numero circiter 53. Ubi ſacro- rum peragendorum tempus venit, dicendi in publico partes mihi impoſita ſunt, materiâ ex Pſ. XCI. verſu 16. deſumptâ, unde in rem præſentem delatus, hujus matrimonii in dimidium ſeculum producti, & in 35. capita multipli- cati, è quibus, quotquot maturitatem attigerunt, honeſtum, ſive in Eccleſiâ ſive in Republ. locum occuparint, felicitatem cum oppidò pauci conferen- dam explicavi, quibus addita ſalutis vota & pro ſenum ſuffulcimentis præ- ces. Sermone ut anteaſſit, ita ponè ſecta eſt Muſica voce & Inſtrumen- tis perſonans. Plauſum fecere Poeta, cum præſentes, cum abſentes, eruditæ verſibus. Inceſſus Senis nullo ſcipione adjutus, vultus Roſeus, corpus ſic ſatis vegetum, ſpectatoribus voluptati ſuere. Nummꝰ, ut ſingulis nepotibus argen- teus, ita Conjugibus renovatis, aureum memorialis ſuſpenſus erat, cum in- ſcriptione votivâ. Matrônâ annis minor, quod debere videbatur, eleganter præſtitit, oris venuſtate à Filiabus parum differens. Convivium quâ gratu- lationibus, quâ Amicis colloquiis, & Muſico concentu liberale & jucundum fuit. Non abſuere & donaria, Urbis Calvoenſis aureum &c. Glonerus autem Poeta in eandem ſolemnitatem Jubilæam ſic cecinit:*

Post caſti quinquagenaria lecti,
 Federa, Conjugium Sponſus uterq; novat.
 Inſtituitq; pios & juba dulcia plauſus
 Solius in laudes & monimenta Dei.
 Qui dedit annorum ſeriem, qui longa dierum
 Stamina, qui pacem, qui bona cuncta tori
 Quàm rarus niger eſt cygnus, cornicula rara
 Candida, tam talis rarus habetur Amor
 Rarus honor thalami, rarum & mirabile fedus
 Quod ſolet illaſum luſtra manere decem.
 Felix quem ſociat diuturni nodus Amoris,
 Conjuge qui vivit tempora longa pari
 Felicem Generum, Soceri quem juba mulcena
 Atq; jubent læto cordis ovare ſinu.
 Felicem Socerum! Generi quem Muſa, diſerto
 Ad cælum tollit fonte, veratq; mori.

Ceterum, etſi illi metæ, ſolius bimeſtris intervallo, propinqua fuit, quin par
 annis illi JHOSUË GRUNINGERI, BARBARÆ, cum quinquagenaria
 Conjux

Conjux, nova subiret nuptiarum simulacra, pie beateq; *septem annis sexage-*
na *aria* grandior defuncta, ELISABETA Schwarzkopffin, Matrona & genere,
 & feminei sexus dotibus fulgidissima, anno quippe cio 106 xi. m. Majo nata,
 cumq; & sacro de fonte renata, & provida, beata nunc memoria Parentu,
 Viri Amplis. & Prudentis. DN. JOACHIMI Schwarzkopff, Senatorum
 hujus Reip. olim Senioris laudatissimi, & Camerarij gravissimi, Amici quon-
 dam nostri Conjunctissimi, Matris item pudicissimæ, & optimæ Virtutis
 Matronæ, ANNÆ, ex honoratissimâ inter *Neobrandeburgenses* BEHMIO-
 RUM familiâ oriundæ, curâ, non primos saltem virtutum successus cape-
 ret: sed & dum solertissimo cultu virgineum pectus sic educabatur, ne aut
 profanitate aut inconcinnitate morum læderetur, tanto deinceps studio pie-
 tatis, & universæ, quæ in illum sexum cadit, virtutis exercitio incumberet,
 ut per omnem succedentem ætatem suam inde laudem obtineret, Anno cio
 106 xxix. circa diem Bartholomæi, à Spectatissimo Integerrimoq; Viro DN.
 HERMANNO Lemben Hereditario in Zintenbergi Viduo nunc maximo
 ducta, etsi, inquam, ad instantem Bartholomæi lucem ingressura erat il-
 lum conjugii Jubileum *quingagesimum annum*, noluit tamen, postquam
 aliter Deo visum, in terris illum expectare sed felici saltu antevortens ad
 verum illum Sanctorum, qui cœlo reservatur, Jubilæum festinare. Prætulit
 illud *παλιτρον* cœlesti terrestri, & hic peregrinam & advenam se professâ,
 patriam requisivit, illam sc. civitatem habentem fundamenta, cujus arti-
 fax & conditor Deus est. Agnovit, umbratilē illam, quæ terris sive offen-
 ditur, sive dubiâ lubricaq; fide habetur, libertatem esse. Libertatem glo-
 riosam Filiorum Dei cœlo constare, & militantibus hic nobis, eminus qui-
 dem ostendi, ceterum demum inde, ex quo hinc beatâ morte exire conti-
 git, Filiis illam revelari, & plenissimam, cum coronâ justitiæ in die novis-
 simo, eodemq; gloriosâ *ἐμφανέως* magni Dei, ac *Σωτῆρος* nostri JESU
 CHRISTI, in civitate illâ cœlesti dari, Proprietatem & plenarium jus cœle-
 stium bonorum in Adamo amissorum, ipsum destructi Chirographi crimi-
 nalis effectum fructumq; consumatam sc. à Diaboli potestate, à peccati &
 mortis inhabitantis, servitute, liberationem, ipsam reductionem utilis pro-
 prietatis, & translationem in regnum gloriosum Filij, ceteraq; in Jubileo
 Judæorum adumbrata, futuro seculo cœlestiq; Jubileo reservari. Agnovit
 ex solis annorum numeris de sorte sive beatâ sive miserâ pronuntiandum
 non esse, cum etiam longiores illi aliquando cadant in minus Deo probatos,
 ac decere

ac decernantur in poenam 1. Sam. II, 32, 33, 34. breviores in iustum, qui reci-
 pitur, nemine animadvertente, ante adventum mali recipi iustum, ingredi
 pacem, requiescere in cubilibus suis, quisquis hic ambulavit in equitate Jes.
 LVII, 1. Probè novit summam studii Christianorum universi illam esse,
 ut in hac vitâ sint Sancti, quales si sint, non possunt non post hanc vitam
 esse beati. DOMINUS, ait David, dat GRATIAM & GLORIAM (hic sc.
 Gratiam, in altero seculo, gloriam.) Quia & Scutum est Deus. Non cohibe-
 bit bonum ullû ab ambulantis in integritate Ps. LXXXIV, 12. Atq; ubi
 ita Sanctis, & coram Deo ambulantis longitudo dierum promittitur, do-
 num illud gratiæ est, prout ex adverso, ubi homines sanguinarij & dolosi non
 perducunt ad dimidium dies suos, signum illud iræ est Ps. LV, 24. Lucu-
 lentum sanè gratiæ divinæ documentum, si in hac vitâ Deus invocantem ex-
 audiat, ex angustia liberet, in ipsâ angustia adsit, si ex omnibus pavoribus
 illum eripiat, si plus ultra etiam honore illum afficiat, atq; ita longitudo
 dierum hanc in vitâ satiet, ut post hanc vitam, illum (cum ineffabili gaudio
 & exultatione) videre faciat salutem suam, i. efficiat, ut, fruatur visione be-
 atificâ atq; sic, prout hic dedit gratiam: ita ibi donet gloriam. Et hoc
 studio, curâve censenda BEATA nunc ELISABETA. Voluit sc. ad exemplû
 incomparabilis illius ELISABETÆ matris J O H. Baptistæ justa esse in
 conspectu Dei, & in omnibus constitutionibus & mandatis Domini ambulare
 inculpate. Luc. I, 6. Commendans Apostolus fidem Timothei, & ma-
 trem æquè illius, Evnicam, ac Aviam Loidem, memorat, in quibus par
 sincera, minimeq; cerussata fides prius habitavit 2. Tim. I, 5. Persvasi
 sumus, idem de BEATÆ nostræ, non Parentibus saltem, Nobis ab ipsâ Vitæ
 sanctitate & integritate probè notis: sed de Avia quoq; Proavisq; promit-
 tere sine temeritate nos posse. Sanè ipse familiæ paternæ maternæq; splen-
 dor & in fulgidissimâ dignatione Consulari, post fata, in multorum Bono-
 rum mentibus & lingvis, vivacia adhuc Functionum Nomina, ac merita
 publica, satis loquuntur, illis Parentibus & superioribus editam nostram
 nunc Beatam, per quos nec pietatis, aliarumq; virtutum præcepta, nec
 pulcherrima illi conformandæ deesse potuerint exempla. Ut enim nunc
 nihil de Avoloqvamur paterno, JOACHIMO Schwartzopsi Cive Wisma-
 rienfi primario, nihil de Avia paternâ TILSA Schmiedesh / nihil de Avio
 Proavoq; materno, etsi Viris Amplissimis, illo DN. ERASMO Behme /
 Consule, hoc autem JACOBO Behme / Senatore quondam Neobranden-
 burgenfi clarissimo, nihil de Avia & Proavia maternâ, illâ honoratissimâ
 Matronâ

Matrona ANNA Krauthofen / hac autem ELISABETA Krusen / nec vi-
cina Wismariensis Republica dememinisse poterit, meritorum Amplissimi
olim inclytici sui Consulis DN. GEORGII Schwarzkopfs / *Proavi pater-
ni* & beatè defunctæ nostræ, & in eadem nunc Curia Consulis Primicerii
Nobilissimi Dn. D. CASPARI Schwarzkopfs / Jcti celebratissimi, Amici &
Fautoris nostri honorandi, nec non Neobrandenburgensis ἀναλωπυγῆν s.
vel ex ipsis favillis resuscitare, & servare memoriam, *Proavi per aviam ma-
terni*, sui olim Consulis spectatissimi, DN. JACOBI Krauthofen: Neq; in-
tercidere poterit, per *Proaviam paternam* Kirchhofianam, posthuma re-
cordatio *Kirchhofi* Consulis, *Abavi* fundæ, quæ honestissimo sic stemmate,
in quo pietas familiam duxit, prosata, & per 17. Virginitatis annos, sub ipso
pretiosissimorum Parentum oculo, amoenissimis virtutibus semper floruit,
& ad imminētissimum usq; *quingagesimum Conjugii*, etiam inter tot no-
vercantis fortunæ insultus, vel ab ipsis spinis, *Rosa*, armata, cum inter illas pū-
gentes optumè crevit, tum in nova se germina viridiori suppullulatione læ-
tæ decoraq; sobolis propagavit, quatuor ipsa Filiorum, HERMANNI, Se-
dinensis Mercatoris, JACOBI in Cimbricâ Chersoneso Præfeti Danici,
JOACHIMI, in Pomeraniâ, CHRISTOPHORI in Mekleburgica, fundorū
prædiorumve Pensionarii, duarum autem Filiarū ELISABETÆ, in ipso
Virginitatis Flore, ab AGNO, quem *diligunt & sequuntur Virgines*, evoca-
tæ, & ANNÆ, initio, ante annos circiter XXII. Excellētissimo in hac
Acad. Professori tunc Organico DN. M. CHRISTIANO ARNDIO, inde
Reverendo pl. DN. M. ZACHARIÆ SCHRÖDERO, Pastori & Rever.
Minist. Guströv. Seniori beatæ record. ac post, diuturniorem licet, & inde
fecundiorē priori thalamum, deinceps DNO. JOH. KARNAZEN,
Mercatori Guströvienſi Florentissimo domum ductæ, *Mater*: ex 3. filiis
nascendi sorte posterioribus, *quinq;*, ex unâ ANNA Filiâ, *sex*, nepotum,
neptiumq; facta *Avia*, ex quo Senario superest floridissimus, qui primo de-
betur thalamo, cognominis Beato Parenti CHRISTIANUS ARNDIUS,
& venustissima, quæ secundis nuptiis sanguinem debet, DOROTHEA,
ceteris ex duplicato Conjugio præmaturâ morte ad meliora tutioraq; cœ-
lestis aula præmissis. Ita senserunt munificentissimam divinæ benignitatis
benedictionem lætissimi Conjuges, & constantissimam conjugalis amoris
fidem, ad imminētē usq; *Jubilæum*, per *decem* adeo ferè *lustrâ*, mutuo
coluerunt! Suecrevitē Subole casti amoris augmentum, ex gubernato-
riæ domesticæ peritiâ, præcipuaq; post pietatem, *Marrumfamilias*, laude

ὀικουμένη,

οικουμένη, domus firmamentum. Conformata ipsa, ut præcipue Supremo DOMINO placeret, ad idem pietatis studium, solertissimâ educatione suos conformabat. Aliis ut placeret, non externo fastu, non exquisito muliebri mundo, nedum lenociniorum pigmentis, falsis habendi simulacris, ineptisqve tectoriis, ac incrustationibus, agebat: sed humilitate, mansuetudine, officiorumqve promptitudine facile & sine invidia laudem inveniebat, & honorum omnium amorem parabat. Ita ergo illa inter tribulos floruit, usq; dum claudenda misera hæc vita, ipsaqve jam *longitudine dierum satiata* ad *Jubileum celestem*, (à quo, ipsisqve nuptiis Agni, illam ad nostrorum illorum Jubilæorum nœnias revocare, nefas) evocanda fuit. XVII. Junii die in Prædio suo Finckenbergenfi ardentissima febre correpta, simul ad urbem delata, & animam sumto *corpore & sanguine Dominici sacratissimo epulo* firmavit, & corpus *medicamentis selectis* firmare allaboravit. Sed hoc, frustra, dum vehementioribus paroxysmis sic obrutum corpus, ut illos insecuta necrosis robur omne exhausserit, ac anima ipsa, relicto corpore, XXII. Junii, inter devotissimas preces ad cœlum tandem remearit, post exactum ætatis annum LXVII. conjugii XLIX. Et sic tot annorum *arctissima copula*, nullis malis divulsa qverimoniis, *supremâ non citius die* est abrupta, quod licet haut absqve grandi Mariti Vidui septuagenario grandioris luctu fiat, tales tamen *felices ter & amplius*, Poeta proclamat Gentilis

Felices ter & amplius
 Qvos irrupta tenet copula, nec malis
 Divulsus qverimoniis
 Supremâ citius solvit Amor die.

Quid non faceret Christianus, de Jubilæis, palmisve cœlestibus, de promissione illâ: *Videre illum faciam salutem meam*, certus? Et illa quidem summam voti Davidici assecuta, annorum dierumq; conjugii pulchrè saturata, nunc *ad spectu SALUTARIS Domini perfruitur*. Mœstissimi quoq; Vidui, ætate numeros Davidicos, supergressi, Senili pectori, lenimenta, SPIRITUS Consolator accumulabit. Vos verò, ORDINIS ACADEMICI CIVES, ut & Viduo, & honoratissimæ utrinque familiæ, frequenti funeris hodie efferendi deductione officiosum affectum exhibeatis, eiq; sine hor. i. postmerid. in Templo Mariano eleganti numero compareatis, monemus.

P. P. Sub Sigillo Restoratus Calend. Julii
 an, CIO IDC LXXIIX.

* * *



Matrona ANNA Krauthofen / hac autem ELISABETH
cina Wismariensis Respublica dememinisse poterit, m
olim inclytiq; sui Consulis DN. GEORGH Schwar
ni & beatè defunctæ nostræ, & in eadem nunc Curia
Nobilissimi Da. D. CASPARI Schwarzkopfi J Cti cel
Fautoris nostri honorandi, nec non Neobrandenburg
vel ex ipsis favillis resuscitare, & servare memoriam, &
terni, sui olim Consulis spectatissimi, DN. JACOBI S
tercidere poterit, per Proaviam paternam Kirchhof
cordatio Kirchhofi Consulis, Abavi functæ, qvæ honel
in qvo pietas familiam duxit, profata, & per 17. Virgi
pretiosissimorum Parentum oculo, amoenissimis virtu
& ad imminuentissimum usq; quinquagesimum Conjug
vercantis fortunæ insultus, vel ab ipsis spinis, Rosa, arma
gentes optumè crevit, tum in nova se germina viridie
tæ decoraq; sobolis propagavit, qvatuor ipsa Filiorum
dinensis Mercatoris, JACOBI in Cimbricâ Cherfo
JOACHIMI, in Pomeraniâ, CHRISTOPHORI in
rû prædiorumve Pensionarii, duarum autem Filiarû
Virginitatis Flore, ab AGNO, qvem diligunt & sequ
eatz, & ANNÆ, initio, ante annos circiter XXIX. i
Acad. Professori tuac Organico DN. M. CHRISTIA
Reverendo pl. DN. M. ZACHARIÆ SCHRÖDER
Minist. Güstrov. Seniori beatæ record. ac post, diutu
fecundiorum priori thalamum, deinceps DNO. J
Mercatori Güstroviensi Florentissimo domum ducti
nascendi sorte posterioribus, qving, ex unâ ANNA
neptiumq; facta Avia, ex qvo Senario superest floridis
betur thalamo, cognominis Beato Parenti CHRIST
& venustissima, qvæ secundis nuptiis sanguinem del
ceteris ex duplicato Conjugio præmaturâ morte ad
lestis aula præmissis. Ita senserunt munificentissima
benedictionem lectissimi Conjuges, & constantissima
fidem, ad imminuentem usq; Jubileum, per decem ad
coluerunt! Succrevit è Subole casti amoris augmen
tæ domesticæ peritiâ, præcipuaq; post pietatem, Ma

the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033